



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 1. De Romaniâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

CAPVT III.

Descriptio Historica Græciæ recentioris in particulari.§. I. *De Romaniâ.*NVM. 1. *Nomen Romaniae.*

DICITVR antonomasticos Romania, aliter Rumelia, quia in eâ Constantinopolis sita est, quæ & Noua Roma dicta est. Cætera petes ex §. 1. cap. 1. huius libri.

NVM. 2. *Quantitas Romaniae.*

Longitudo eius desumitur ab vrbe Cauallâ in limite Macedonico, ad Castella supra Constantinopolim, quæ distantia dat 4. gradus maioris circuli hoc est 240. mil. pass. Geometricorum, leucas Francicas 120. Germanicas 60.

Latitudo autem à Pro. Mastysîâ, vulgò *Cabo Grega* in Chersoneso, ad ostia fluuij *Panyzo*, infra Varnam, quæ est omnino eadem cum longitudine.

NVM. 3. *Qualitas Romaniae.*

REGIO temperata fatis, purissimi aëris circa Hadrianopolim; Constantinopoli propter vicinum mare & venti, & frigora, & calores alternis sæuiunt; pestique admodum obnoxia est: vrbi circumposita regio feracissima est, sed sterilis ex negligentia Turcarum, quoniam mari facile subuehuntur omnia ad vitam, & delicias necessaria. Pascua item lætissima sunt, ora autem ad cò piscosa vt Bosphorus Thracius, ideò Vere aureus, Autumno argenteus dicatur.

NVM. 4. *Politia Romaniae.*

PENDET ex Beglierbego Rumeliæ, sed quia Constantinopoli residet Imperator, parùm isthic iuris habet. Negotia omnia in vrbe per quatuor Iudices expediuntur, & curantur diligentissimè; per alium Hadrianopoli ius redditur. Multi equites sparsi sunt per Thraciam, vt ab Imperatore exercitus facile, & citò co-

Parall. Geogr. Tom. 11.

M m m

gi possit. Turcæ ubique otiosi, nam agriculturam relinquunt indigenis Christianis, mercaturam Iudæis, & Italis.

§. 2. De Macedonia.

N V M. 1. Nomen.

IN Historiis recentioribus, & Relationibus, atque Hodæporiis maxima pars Macedonia, & Thessaliæ vno nomine MACEDONIA nominatur, licet reuera ab indigenis secernatur, in hæc nomina *Tamboli*, *Macedonia*, *Comenolirari*, *Ianna*, quæ tibi in Geographi-
câ descriptione proponentur.

N V M. 2. Quantitas Macedoniae.

Latitudo à montis *Karoptniza*, seu Orbeli vertice, ad intimum finum Malliacum, vulgò *del Zito*, 4. gradus totos reddit, ac proinde 240. millia passuum, leucas nostrates 120. Germanicas 60.

Longitudo ab extremo Promontorio *Montis Sancti*, ad montes Albaniam dirimentes extenditur, quæ reuocata ad maiorem circumulum dat quoque 4. gradus, ac proinde longitudinem omnino similem latitudini facit.

N V M. 3. Qualitas Macedoniae.

REGIO tota frumento abundat, & quibusdam in locis vite, & oleâ: innumeræ hîc quoque feræ, & armenta pulcherrima. In fodinis Siderocapsinis aurum eruitur & plurimum, & purissimum ad Sultanos percutiendos, vulgò *des Squins*.

N V M. 4. Politia.

SANIACVS Thessalonicae, maximæ est, & præcipuæ in hoc tractu auctoritatis, & 400. equites alit: indigenæ tantum non mancipia, miseram Turcis seruiunt seruitutem. Sed mercatores humaniter accipiuntur, spe lucri. Vrbs Thessalonica vendita fuerat Venetis ab Andronico Palæologo, quibus erepta est ab Amuratho II.